

litem voluntatis erga bonum, talis actus eminenter erit deliberatus, et liber, quia omnem indifferentiam continet, et superat, licet formaliter sit necessarius, sicut de amore beatifico statim dicemus.

XL. His suppositis, consequentiæ D. Thomæ solidissimæ sunt. Et prima explicatur sic. Illæ actiones propriæ dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum homo (intellige sunt propriæ illius, quoad substantiam et modum) ita quod in sua substantia procedant a parte rationali, quæ est propria hominis, et eo modo, quod postulat operatio rationalis, scilicet, cum indifferentia, et dominio actionis, qui sequitur ipsum rationalem modum operandi perfectum. Hæc est major propositio D. Thomæ, subsumit minorem: sed proprium est hominis, in quantum homo, quod sit dominus suorum actuum, scilicet, quantum ad modum proprium, et per se pertinentem ad hominem, ut rationalis est, hoc enim est proprium rationalis naturæ, quia per hoc differt cæteris naturis irrationalibus. Et tunc differt, quando habet hunc modum operandi, et dominium perfecte: nam antequam perfecte habeat, adhuc in ipso modo operandi, non differt ab aliis creaturis, licet quoad substantiam actus, quem operatur, id quod hominis proprium est, operetur; sicut homo operatur aliquam actionem spiritualem in sua entitate, sive intellectus, sive voluntatis, clarum est, quod operatur operationem propriam hominis, ut homo est, et ut rationalis entitative, et substantialiter; sed si in tali operatione homo operetur alligatus, et indeliberatus, et nondum se agens, et movens, aut nondum cum indifferentia, talis actio non est adhuc propria hominis, ut homo est, quantum ad modum, quia modus ille, communis est aliis creaturis irratio-

nalibus, et nondum est proprius hominis, ut homo; sed tunc quando procedit cum dominio, et libertate, atque adeo quando perfectus fuerit ille actus, et non cum imperfecta libertate, aut deliberatione processerit, quia quamdiu non pervenit ad perfectam libertatem, adhuc in modo operandi, non differt a cæteris irrationalibus, quæ sine libertate, et cum necessitate operantur.

XLI. Sic ergo consequentia prima D. Thomæ redditur evidens, et solida, formaturque hoc modo: Illæ sunt propriæ actiones humanæ, quæ sunt hominis in quantum homo, quoad substantiam, et modum; sed homo differt ab aliis irrationalibus, in modo operandi, id est, in hoc quod est dominus suorum actuum, ergo solum illæ sunt propriæ actiones humanæ, quoad modum proprium hominis, ut homo est, quarum ipse est dominus, et consequenter oportet quod pertineat, vel procedat ab illa potentia, ratione cujus, suorum actuum homo est dominus. Quæ consequentia, et discursus omnino efficax est, nec solvitur per illam distinctionem minoris, in argumento adductam, quod non solum est proprium hominis agere illas actiones, quarum ipse est dominus, sed etiam alias: nam in modo proprio operandi rationalis naturæ, solum hic modus est proprius ejus, scilicet, quod operetur cum indifferentia, et potestate super suos actus. In quocumque enim alio modo operandi, si necessarius est, conveniunt aliæ creaturæ irrationales, quia necessario operantur, ergo in hoc solo differunt. Loquendo ergo de actionibus humanis, prout sunt humanæ, non solum quoad substantiam sed etiam quoad modum et talem modum, in quo alia agentia non communicant, discursus iste, et prima D. Thomæ consequentia,

efficaciter infert, quod illæ actiones propriæ dicuntur humanæ, quarum homo dominus est.

XLII. Secunda vero consequentia optime infert, quod tales actiones, quarum homo est dominus, sunt quæ ex voluntate deliberata procedunt, sed non eodem modo, nec pari gradu: actiones enim quæ plene, et ex omni parte, sunt in dominio hominis, sunt illæ quæ plene, et perfecte sunt deliberatæ, et procedunt a voluntate se movente, ex aliquo priori actu, non autem a voluntate, ut ab extrinseco. Respectu enim talis actionis, non datur plenum dominium et ex omni parte, quia prout ex motione alterius dependet, et non ex propria, minus dominii est, licet inchoative dominium incipiat respectu aliarum. Et hæc videtur esse mens Cajetani dum in hac prima quæstione, art. 1, in dubio circa discursum D. Thomæ dicit, quod loquitur D. Thomas de actionibus illis, in quibus homo se movet, et agit, non vero in quibus potius agitur, et movetur, et ita licet in prima etiam operatione intellectus, differat homo a cæteris animalibus, quia intellectualis operatio est, non tamen differt per illam, tamquam per actionem, id est, licet entitative, et substantialiter, sit operatio hominis, non tamen secundum modum actionis, seu operationis. Quod dictum perperam impugnat Vazquez in dubitatione secunda circa hunc articulum, vocans hanc subtilitatem Cajetani sine fundamento, quia cum homo sit integra causa efficiens suarum operationum, non debet dici, illis operationibus solum agi, sed etiam agere: dicitur vero moveri, aut agi, non ab alio, sed a se ipso, illis operationibus.

XLIII. Sed hæc impugnatio Vazquez, et fundamento vacat, et veritate; quia non distinguit de hoc,

quod est agere effective, seu elicitive, aut motive. Homo enim, et quodlibet vivens in actione vitali, non pure agitur, sed agit, et elicit active actionem, non tamen ita pure agit quod etiam non agatur, et moveatur. Et cum moveri, sit reduci de potentia ad actum, nec possit id quod est in potentia, reducere se ad actum, per hoc quod potentialitatis est, sed per id, quod est in actu, necesse est, quod in primo actu eliciendo, licet operetur, et agat illum, quia elicited actus est, non tamen se reducat de potentia ad illum, id est, non se reducat de potentia ad actum, quia priorem, alium actum non supponit, sed movetur ab alio, ut infra circa quæstionem nonam dicemus, et explicabimus. Unde, et totius nostræ justificationis initium ab exexcitante gratia desumitur, ut dicit Concilium Tridentinum, in qua quidem excitatione homo non se movet; sed movetur a Deo, ut agat, non ut nihil agat, ut Augustinus dicit, movetur enim ut vitale agens, et liberum. Sic ergo homo suarum actionum integra causa est, et principium elicitive, dependens tamen ab alio, a quo moveatur, et reducatur in actum. Et in tali actu, in quo movetur, licet eliciat, non se movet, neque reducit de potentia ad actum, dicitur minus dominium habere, pro ea parte, qua non se movet, licet libere operetur, eliciendo cum indifferentia, ut statim dicemus. In aliis autem actibus in quibus plene se movet, licet etiam dependeat a concursu, et motione Dei, tamen quia Deus tunc concurrat, et agit, ut se moveat, ideo non minuit per hoc, sed auget, et dat plenum dominium, quod in primo actu non dat, quia nondum in illo plene movetur, sed accipit unde se moveat, quod est initiative se movere.

XLIV. Ex his respondetur, facile ad instantias primæ, et secundæ

difficultatis. Ad primam instantiam secundæ difficultatis respondetur, quod ridere, flere, admirari, etsimilia, si fiant sine deliberata voluntate, sunt propria hominis quoad suam entitatem, et specificationem, non quoad suum exercitium, et modum operandi: quia tunc in modo operandi, necessario elicientur, in quo eliciendi modo nondum differunt a modo operandi irrationabilium. Si vero aliquis rideat, fleat, vel admiretur ex voluntate libera, aut deliberata, erat illa actio etiam humana, ex proprio modo operandi, sed id non habet tunc ex propriis potentiae risivæ, sed ex voluntate deliberata, cui subordinatur. Idem dicimus de actionibus intellectus, primis et necessariis, quæ ponuntur in argumento, et de actibus qui fiunt a voluntate, ut natura quædam est, aut subito motu, et similia, quæ ibi numerantur. Dicimus enim omnes istas actiones, dici proprias hominis, ut homo est, quoad specificationem, et entitatem, non perfecte, quoad exercitium, et modum operandi proprium hominis, ut homo, et in quo a cæteris differt. Hunc enim modum perfecte non habent, licet possint habere illum imperfecte, et initiative, motus enim subiti, et indeliberati, principium sunt deliberatorum, et gratia primo excitans exordium est justificationis, et consensus boni: cum tamen gratia excitans fiat ordinarie in nobis per motus subitos, et indeliberatos. Eo ergo modo, quo isti subiti motus existentes intellectu, et voluntate, pertinent ad rationem liberi, pertinent etiam ad dominium nostrum, scilicet, initiative, seu dispositive, non formaliter, et perfecte, in quo non sunt actiones hominis, ut homo est perfecte, et formaliter, quia subitæ, et imperfectæ sunt. Et ideo non dicuntur humanæ, quia actiones esse hu-

manas, seu morales, magis dicitur ex isto modo proprio hominis, ut homo est, quam ex entitate materialiter sumpta, quia moralitas ad regulationem rationis, libertatemque pertinet, quod totum, modus actionis est, sicut enim actum fieri necessario, modus actionis est, ita et fieri libere, ac regulative: respectu enim entitatis naturalis actus, moralitas accidens est, seu modus. Et quia D. Thomas in hoc opere de actibus hominis agit, quatenus morales, et ad virtutem, vel vitium spectant, ideo actiones humanas magis considerat esse proprias hominis ex parte modi humani, qui est proprius hominis, quam ex entitate.

XLV. Ad primam instantiam secundæ difficultatis respondetur in primis, actiones beatificas, esse propter finem non acquirendum, sed jam adeptum, nec enim omnes actiones, quæ sunt propter finem, respiciunt illum, ut acquirendum, multæ enim fruuntur fine, illumque possessum supponunt. Deinde, quod dicitur, actiones illas non esse humanas, quia sunt necessariae, dicimus esse necessarias, non necessitate imperfectionis, et indigentiae, sed necessitate plenitudinis, et summæ firmitatis, quæ utique necessitas, quia totam indifferentiam voluntatis adæquat, eminenter habet libertatem, seu est aliquid altius libero, eo quod procedit cum plenissima advertentia finis, et clara ejus visione, et totam voluntatis indifferentiam, unde nascitur ejus libertas, vincit, et adæquat; quia summum bonum est, et est moralis, seu regulata regula rationis per necessariam connexionem cum ipsa regula, quæ est visio Dei, non per liberam participationem regulæ. Libertas autem ita importat indifferentiam, quod in objecto aliquam limitationem, et imperfectionem

supponit, ratione cujus potest relinqui, aut amari. Et ipsa actio visionis, licet in se formaliter libera non sit, nec imperata a voluntate: vere tamen est regula, et radix non solum amoris necessarii erga Deum, sed liberi erga creaturas in beato: et sic est libera radicaliter, seu eminenter, sicut primum judicium practicum in nobis, et est volita propter finem, quia amatur illa visio, ut adeptio finis. Objectum vero quod totam indifferentiam voluntatis adæquat, importat necessitatem superantem, et excedentem omnem liberam indifferentiam cum cognitione, et sic est eminentius libero, quia superat indifferentiam, et est perfectissimum voluntarium, ut infra circa quæstionem sextam dicemus. Nec in tali modo operandi conveniunt res irrationales, quia non habent modum operandi necessarium ex adæquatione, et eminentia super omnem indifferentiam voluntatis, quæ virtutalem libertatem includit, sed ex determinatione non attingente indifferentiam. Nec voluntas operatur in illo amore, ut natura imperfecto modo procedens, et cognoscens, sed ut natura superans omnem differentiam voluntatis, et cum plenissima advertentia procedens. Quod totum latius circa dictam quæstionem sextam tractabimus.

XLVI. Ad secundam instantiam dicimus, primam intentionem esse actionem humanam, non quomodo cumque, sed ut principium, et initium deliberationis; unde est deliberata initiative, non consummative, sicut motus cordis est initiative vitalis, non consummative, quia nondum in eo perfecte se movet animal, neque homo. Nec D. Thomas totaliter rejicit a ratione actionis humanæ, hos motus subitos in intellectu et voluntate existentes, si quidem ibi initium sunt actuum liberorum, et deliberatorum. Rejicit

autem a ratione actus humani eos, qui pure procedunt ex imaginatione, ut fricare barbam, aut movere pedem: quia hi solum procedunt ex fine imaginato, et in vi imaginationis, non a ratione procedunt, nec ipsi sunt initium actus rationis, et deliberationis, sicut excitationes subitæ intellectus. Et cum dicitur, quod illa prima intentio potest esse deliberata, et meritoria, quando non fit per motus subitos, sed perfectos; fatemur, sed aliud est esse liberam, aliud deliberatam. Esse enim liberam, sumitur ex indifferentia judicii, et potestate super suos actus, saltem quoad exercitium, et quantum est ex meritis objecti: esse autem deliberata, sumitur ex eo quod ex uno se moveat ad aliud, quasi se ipsum determinando, et consiliando, hoc enim est deliberare. Potest autem prima intentio finis proponi cum plena advertentia, et indifferentia, et cum potestate quoad exercitium actus intra eandem speciem, quia potest facere hunc actum bonum in individuo, vel non facere; sed alium etiam bonum, non tamen habet libertatem contrarietatis, ut faciat bonum, aut malum. Non habet autem pro illo primo actu potestatem movendi se de uno actu ad alium, quia non supponit priorem actum quo moveat se, sed ille est omnium primus, et ideo debet esse ex motione alterius, et ex hac parte non est deliberatus perfecte, et consummate, sed initiative: et hoc sufficit, ut sit humanus, saltem imperfecte, et multo amplius, et perfectius si sit liber, et cum plena cognitione, ut in Angelis.

XLVII. Ad tertiam instantiam, de actionibus ebriorum, et amentium, et puerorum, dicimus illas in se carere formaliter libertate, et deliberatione saltem perfecta, et sic non sufficiunt ad culpam, nisi forte ratione præcedentis liberta-

tis imputentur, sicut in ebriis, quod est virtualiter esse humanas, vel liberas. Actiones etiam secundo primæ sunt humanæ imperfecto modo, et quasi tendentes, et disponentes ad perfectam libertatem, et ideo sufficiunt ad peccatum imperfectum, eo modo, quo humanæ, et liberæ sunt. Et sic quantum ad modum, non sunt proprie, et perfecte humanæ, licet quoad substantiam sint propriæ hominis, ut homo est, ut quia intitative procedunt ab intellectu, et voluntate. Ad id vero quod dicitur de actione instantanea respondetur actionem liberam, et deliberatam formaliter, et in se posse fieri in unico instanti; sicut in unico instanti sol illuminat lunam, et luna terram, et intellectus proponit voluntati, et voluntas amat, sic potest amare finem, et ex fine media, unico instanti: quoad actiones vero antecedentes, et præsuppositas, potest requirere tempus per accidens, prout a nobis exercentur per plures actus, procedendo de imperfecto ad perfectum; in Angelis autem unico actu, et instanti, potest totum hoc fieri, quia sine discursu, et sine tempore operantur. Primus autem actus potest libere fieri, quia licet in eodem instanti, non possit simul conjungere quis utrumque actum, potest tamen divisive quemlibet operari, et ad hoc potestatem habet in ipsi instanti, dum incipit operari, non ad faciendum utrumque simul, quod est facere utrumque in sensu composito, sed habet in illo instanti potestatem ad faciendum quemlibet divisive, seu in sensu diviso, nec ad hoc dependet ex antecedenti tempore, ut talem habeat potestatem, sed ex universali potestate, et dominio, quod habet super utrumque actum in eodem instanti. Plura circa hoc diximus præcedenti tomo secundo, in prima parte agentes de peccato Angelorum, disp. xxiii.

Plura vero quæ hic ab aliis solent disputari de causalitate finis in quo consistat, de conditione ad causandum requisita, scilicet, quod sit in apprehensione, a nobis tractata sunt in physicis q. xiii, ubi videri possunt.

ARTICULUS II.

Utrum recte ostenderit D. Thomas quibus conveniat agere propter finem?

Sub hoc titulo examinanda veniunt ea, quæ D. Thomas agit in primo et secundo articulo ejusque probationes, propter cujus doctrinam declarandam præcedentia fundamenta jacta sunt in articulo præcedenti.

Duo ergo ergo sunt, quæ D. Thomas præstat. Primum est, quod naturæ rationali convenit agere propter finem tali modo, scilicet, ex voluntate deliberata. Secundum, quod soli naturæ rationali id convenit, reliqua agentia operantur, ut mota ab alio, non ut se moventia, seu determinantia in finem, sed ut pure mota, vel instigata, seu instinctu acta. De Deo vero, an conveniat ei agere propter finem, hic non tractat, quia tractatum reliquit i p. q. XLIV, art. IV.

RECTE D. THOMAS PROBAT NATURAM RATIONALEM AGERE PROPTER FINEM.

I. Ex principiis jactis, explicatisque præcedenti articulo non erit difficile, probationes istas deducere. Prima probatio est, in argumento sed contra, in hunc modum. Omnia quæ sunt in aliquo genere, derivantur a principio illius generis, sed finis est

principium in operabilibus in homine, ut patet per philosophum i physic. ergo homini convenit in suis operabilibus agere propter finem. Quæ consequentia evidens est, quia si finis est principium in operabilibus hominis: ergo operabilia humana derivantur a fine, derivantur autem ab illo, in quantum sunt propter ipsum, quia in genere causæ finalis derivantur: ergo operabilia hominis sunt propter finem, et sic homini convenit operari, seu agere propter finem.

In duabus vero propositionibus a D. Thoma assumptis, de illa minori, scilicet finis est principium in operabilibus, nulla est difficultas; constat enim finem esse causam, ut res fiant propter illum, et ex intentione, seu amore illius, alioquin res fient a casu, si ex aliquo fine non causentur: ergo finis principium, et causa est operabilium in homine: ab eo enim quod intendimus sumimus initium operandi, et sic in genere operationum humanatum, finis se habet, ut principium, quia se habet, ut intentum, et ab intento incipit operatio.

II. Circa majorem vero propositionem, scilicet omnia quæ sunt in aliquo genere derivantur a principio illius generis, vix aliqua posset esse difficultas, nisi propositio hæc, aliquantulum inverteretur ab aliquibus expositoribus, qui illam sic proponunt: « Quod est primum in unoquoque genere, est causa cæterorum. » Et rursum quia illud vocari solet primum in unoquoque genere, seu linea, quod intra illam perfectius, et principalius est, seu maxime tale, explicatur ulterius propositio illa, sic: Quod id quod, in aliquo genere est perfectissimum, seu maxime tale, est causa cæterorum illius generis, seu lineæ. Et tunc patitur plures instantias. Nam in genere animalis

homo est præcipuum, et perfectissimum illius generis, et albedo in genere colorum, et tamen neque homo causat cætera animalia, neque albedo alios colores, imo in omni fere genere, prima species non causat alias. Et occasione hujus, quia Aristoteli tribuitur illa propositio, inquiritur de sensu Aristotelis, et quid circa eam tradiderit.

III. Est ergo notandum, quod tribus modis invenimus hanc propositionem. citari a D. Thoma, seu adduci. Primo, in prima parte, q. ii. art. iii. Maxime tale in aliquo genere est causa omnium, quæ sunt illius generis. Citatur ex secundo metaph. Secundo, adducitur a D. Thoma iii p. q. lvi, art. primo hoc modo; Quod est primum in quolibet genere, est causa omnium quæ sunt post, ut dicitur in secundo metaph. Tertio, in hoc loco, scilicet articulo primo hujus questionis ponitur a D. Thoma modo dicto: Omnia quæ sunt aliquo genere, derivantur a principio illius generis. Et hæc ultima propositio magis videtur explicare vim, sensumque cæterarum, eo quod, ut aliquid in uno genere sit causa cæterorum, non sufficit esse primum, id est, perfectissimum, seu principalius, aut nobilius: sed requiritur, quod ita sit primum, quod sit principium, ita quod alia sint ei subordinata, et quasi principiata ab ipso. Unde D. Thomas explicans hoc axioma 2-2. q. clxiii, art. iii ad tertium dixit intelligi in his, quæ per se sunt ordinata, in his enim, inquit, oportet id quod est primum esse maxime tale: et adduxerat illud axioma, ex philosopho ii met. Et vere sic intelligendus est philosophus, tum in illo loco ex secundo met. cum in decimo met. c. ii, ubi similem propositionem ponit. Nam in primo loco dicit Aristoteles sic: « Unum-